



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 27. Homo facinorosus S. Domus aditu diuinitus prohibetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

las, ac pene momenta, leuius habere coepit, quoad excussa febris, paucis diebus conualuit omnino. Igitur anno insequenti perrexit Lauretum ad vota reddenda. Ibi mihi haec ipsa memoriae prodenti rem omnem, vti à me commemorata est, ipsemet enarrauit.

Homo facinorosus ante confessionem sacrosanctae cellae aditu diuinitus prohibetur.

Cap. XXVII.

HAec quoque tempestas nouis miraculis ostendit, quanta Deo sit cura sanctitas Lauretanæ Domus. Per ea tempora Lauretū venerat peregrinus quidam omnibus sceleribus coopertus, & profligatae vitæ apprime tenax. Huic igitur sanctissimæ cellæ limen intrare auso, repente in ipso aditu umbra quædam horrenda specie se obiecit: quæ proiectæ audaciæ hominem fregit, ac repulit ingenti pauore perculsum. Ergo scelerum cōscientia ictus sacerdotem adit animum expiaturus. Cæterum ad recollenda tot annis patrata facinora, multo opus erat tempore, magnoque sensu doloris: ipse autem ad sacram confessionem minime meditatus, ac paratus accesserat. Proinde à sacerdote dimittitur monitus, vt in sacrum sacellum recipiat se, ibi Dei, Deiparæque ope enixius implorata, in anteaetam vitam inquirat sedulo: tum demum paratior redeat ad confitendum. Dimissus ille mandata faceffit; sed videlicet mala consuetudo veram poenitentiam morabatur: & probri magis, quam culpæ dolor anxium animum stimulabat. Eum itaque sacrum Virginis cubiculum reperentem, eadem illa species oblata iterum ingressu prohibuit. Tum vero ingens illi dolor iniustus, se vt consceleratum, contaminatumque ab augustissima sede, à conspectu Deiparæ bis abactum esse. Extemplo flagitiosæ tabis, vitæque tædio captum, haud vana poenitentia

rentia excepit, & dolor offensi Dei. Ergo conscientia impensius excussa, flens redit ad sacerdotem: labe non confessione magis, quam lacrymis eluit. Expiato tandem animo, ad augustam Virginis Aedem verecunde, ac dubitanter accedit. mirabile dictu. qui audenti clausus fuerat, verecundanti aditus patuit.

*Quidam patraturus cædem in Lauretana Æde
diuinitus in diuersum mutatur.*

Cap. XXVIII.

Iisdem fere diebus aliud haud absimile accidit. Ciuis Asculanus honestus, ac diues filiolum ex nouo matrimonio susceperat mense septimo. Hunc nutrici alendum dederat; & quia vnicus, immaturoque partu editus erat, sollicito subinde eum reuisebat animo. Forte euenit, vt puerum natura imbecillum, nulla nutricis culpa, repentinus morbus extingueret. Enimvero nutrix haud ignara, quantum mali à pueri patre præferocis ingenij homine immineret sibi; protinus occulta fuga properat Lauretum, multum in Deipara præsidij ponens. Nec spes fefellit. Ille, vt vnicum filium exanimem conspexit, dolore simul, ira-que amens, furere, incusare Deum, Diuosque, nutricem quærere ad necem. Cum ea non compareret, iram in nutricium vertit, quem vulneribus confossum pro mortuo reliquit. Neque hic stetit cruore imbutus furor. Comper-
ta nutricis fuga, propere succinctus armis Lauretum aduolat. Irrumpit in templum ea mente, vt nutricem, vel in ipsa sacrosancta cella ante ora Virginis trucidaret. Lustratis frustra templi recessibus, ventum erat ad Deiparæ cellam, vbi nutrix expiatis paulo ante vitæ maculis, obnixè B. Mariæ implorabat fidem. Itaque sub eius tutela, vmbraque latuit. Quippe homini furenti, & cædem anhelanti hæc diuinitus iniecta est cogitatio: si sacrosanctum li-
men